

luna replica; Neque eo quod nos admittamus *disp. 7. cit. n. 70.* instrumenta separata secundum esse, & separata secundum causalitatem, cogimur fateri huiusmodi instrumenta debere in motione ab ipso agente recipere qualitatem aliquam, mediante qua agens principalem effectum, ut contra nos instat ad hominem arguens in sua confirmatione: Et enim ibi declarando quale sit instrumentum separatum secundum causalitatem, dicimus esse illud, quod in suo concursu, licet interveniat agenti principali, non indiget tamen actuali influxu cuiusdem agentis, & exemplum artium de calore introductio in ligno ab igne materiam disponente ad formam ignis propria virtute, etiam si ignis ad illam ad actionem dispositivam actu non influat, admittere autem instrumentum in hoc sensu separatum secundum causalitatem nihil faveat arguenti.

Nec rursus casus ille de figillo è manu emisso, qui licet movens è vita discederet, adhuc in cera imprimeret suam figuram, facit ad rem, quia ut supra dictum est, tunc c. imprimeret suam figuram in cera, lupam quam cadit, ratione sua propria gravitatis ipsum deorsum ferentis, non autem ratione qualitatis impressæ ab extrinseco agente deorsum impellentis, quod si contendantur illam imprimere ratione qualitatis impressæ, id erit omnino per accidens, quod enim per se concurret ad eius impressionem efficit propria quantitas, & figura & virtus expulsiua alterius corporis è loco in solo genere causæ formalis, non autem in genere causæ efficientis, quia etiam sine tali virtute æque bene figuram imprimit, ut constat in pluribus exemplis allatis. Et denique fallum est omnes rationes probantes in via Scoti proiecta non posse moveri immediate à proiciente, probare pariter actionem instrumenti non provenire immediate ab agente principali, nec in illo immediatè fundari, nam in proiectis cogimur concedere virtutem à proiciente impressam, ne deus effectus realis actu productus sine causa reali actu existentis, casu quo proiciens perierit durante motu profectionis; que necessitas non addit in proposito nostro, quia per se, & absolute loquendo instrumentum artis in se servit potest agenti principali abque ulla applicatione per motum, aut virtutem imprimendam ab extrinseco agente, ut constat in exemplis adductis; & virtus impressa à proiciente per se concurret ad motum profectionis, non sic autem ad concursum simulatorem instrumenti, quia tale munus obire potest abque ulla motione, vel receptione virtutis impressæ à principali agente, ut patet ex dictis.

Quarto, arguit ulterius Auctor ille pro instrumentorum activitate; quia si causa instrumentalis nullam activitatem haberet in ordine ad effectum principalem ipsius agentis, tunc ad quemlibet effectum alium posset quodlibet instrumentum, & quodlibet effectus æquum ad quodcumque opus quod est fallum; ergo instrumentum est verè actuum; eum attingat effectum sua propria forma, licet in virtute agentis, quod fuit argumentum Doctoris q. 1. E. E. Confr. quia lignum non dividitur, nec inciditur, nisi per contactum mathematicum, qui contactus solum reperitur inter ipsum lignum & instrumentum scilicet ferrum, non verò inter ipsum, & agens principale, ergo &c. Sed ad hoc quoque argumentum responsum est *disp. 7. cit. n. 76.* in fine negando sequelam, quia non quodlibet habet virtutem activam requisitam, si de instrumento naturali loquamur pro quolibet effectu, ut calor habet virtutem requisitam pro introductione formæ ignis in materia, non verò formæ aque, nec quodlibet habet figuram debitam, & quantitate proportionatam, si fermo fiat de instrumento artificiali; inde tamen non sequitur istas condiciones esse activas nam ratione proprie figuræ, & qualitatis munus funt instrumentale exercere possunt abque ullo concursu effectivo præter illum, quem præstant ad expellendum aliquid corpus à loco ex *Scoto q. 3. lit. F.*

Ad Confr. concedo pariter lignum non dividi, nec incidit nisi per contactum mathematicum, & talem contactum solum reperiri inter ipsum lignum, & instrumentum, hinc tamen nulla deducitur activitas in instrumento proprie dicta, nam ad divisionem, & scissionem sufficit sola impossibilitas plurium corporum in eodem loco, corpora enim, inquit Doctor ibidem, videntur habere impossibilitatem respectu Ubi eisdem, sicut qualitates contrarias respectu eisdem subiecti, & divisio ligni per ferrum, vel securum non est nisi quedam expulsio partium ad Ubi, ad quod movetur securus ab ipso artifice; que etiam expulso fieri, si securus, vel ferrum esset penitus immota, & lignum supra ipsam immotum moveretur; unde quomvis ex motu ferrum super lignum fiat ut partes ligni secti occupent locum per quemdam impulsivum in genere causæ efficientis; tamen hoc est per accidens ad sectionem, nam etiam fieret sectio ferrum manente immota

si super ipsam lignum moveatur, aut si eo ipso, quod partes ligni expelluntur formaliter à loco priori, destruerentur, sicut destruitur frigus, quando à suo subiecto expellitur, lignum effectum eodem modo per ferrum; unde illa occupatio alterius loci ex impulsu agentis facta est impertinens ad illam sectionem formaliter loquendo, ut bene adnotavit Poncius *loc. cit.*

Quindò tandem Auctor ille ait suum asseritum, quod nonnè quodlibet instrumentum etiam artis aliquam activitatem habeat esse Fabri *2. disp. 1. q. 1. & 2. & Rada 2. p. contr. 2. ar. 3.* asserentium instrumentum præter motionem communicari sibi aliquam virtutem activam; Sed plane licet illi Auctores id asserant, de instrumento naturali, quod est actuum, nunquam tamen id somnarunt de instrumentis artis, immò constanter illi cum Scoto denegant virtutem activam, *Rada ar. 3. cit. not. 2.* sic loquitur: potest attingi instrumentum, ut distinguitur contra causam principalem secundo modo sumptam, & instrumentum hoc modo sumptum est illud, quod cum alteri in agendo subordinetur, non habet propriam formam activam in suo ordine, per quam agat, sed solum agit per actualem motionem alicuius moventis, ut patet de instrumentis artificis, ut securi, ferræ, & huiusmodi, que non proprie agunt activè, quia in ipsis solum reperitur motus, figura & quantitas, que forme activæ esse nequeunt; Faber verò *disp. 4. cit. n. 3.* sic loquitur: ex dictis itaque & ex his que habet Scotus *4. disp. 1. q. 1. & 2. ad questionem ergo, ut late dicimus in Metaph. ubi de causis agemus lib. 5. sustinendo, quod instrumentum sit actuum, quia Scotus, ut ibi dicimus hoc negat de instrumentis artium, &c. Et quoniam *nu. 38.* loquens de activitate instrumenti naturalis, qualem habet calor in ordine ad formam carnis, eam explicat exemplo figillorum dicens: nam figillum sine virtute, & influxu causæ principalis non habet causalitatem in ordine ad imprimendam figuram proximè in materia, sed illam recipit ab influxu principalis agentis; ne quis hoc exemplo deciperetur (quemadmodum deceptus est Auctor noster) quasi tribueret activitatem aliquam instrumentis artis, in fine capituli illius sic potestatur; quarto loco funt instrumenta artium, ista enim secundum Scotum non sunt verè activa, quia terra non habet, nisi quantitatem, figuram, & motum localem, que non sunt forme activæ, de quo in *Metaph. loc. cit.* in præsentiam tenet locuti sumus de instrumentis supponendo secundum communem opinionem, quod sint activa; in *Metaph. verò lib. 5. disp. 4. tit. 6. 3.* probat ex Scoto instrumenta artis non esse activa, & in fine capituli obiciens illi, quod ait Doctor, *quodlibet 1. q. 1. D.* instrumentum non semper operari dispositivè ad terminum principalis agentis, sed quoad aliquando attingat illum, & adducit exemplum de monetario, & sigillatore, qui per sigillum inducit formam sigilli in cera, & sigillum videtur inducere activè figuram in cera; Respondet, quod Scotus est problematicus, & sustinet utramque partem, licet ut probabilior asserat hanc opinionem, quod instrumenta artium concurrant tantum passivè, ut constat *q. 5. F.* & idèdè dixit, quod ferræ, & sigillum attingunt, &c. loquitur secundum opinionem illam, quod concurrant activè; ita Faber, ex quibus conieciare poterit Lector, quam fidelis, & oculatus sit Auctor ille in referendis placitis Scoti, & Scotistarum, & quam verè sit Auctor contra veritatem inter Scotistas, cum eos faciat dissentientes in re, de qua in Schola nostra nullum unquam fuit dissidium, sed omnium profusus unanimis consensus, quod instrumenta artis non sunt activa. Denique notanda est manifesta contradictio in dictis illius Auctoris, nam in prima sua conclusione statuit causam instrumentalem aliquam activitatem habere in ordine ad effectum principalem ipsius agentis, & hoc ibi universaliter probat de omnibus instrumentis artis ferræ, securi, malleo, figillo, &c. Deinde infra in solutione primi argumenti contra primam conclusionem ait quedam instrumenta habere activitatem in ordine ad effectum principalem ipsius agentis, ut instrumenta monetarii, & sigillatoris; quedam verò talem effectum non attingere nec per propriam formam in esse quæro, nec per formam ab agente in motione receptam afferens exemplum de securi, & ferræ, que non attingunt immediate formam areæ sed tantum agens principale agit per illam ad dispositionem mediam scilicet incisionem, & divisionem ligni.*

QUESTIO SECUNDA.

An gratia, & alii supernaturales habitus in nobis proprie creentur.

Constat ex dictis in precedenti quaestione tunc haberi propriam creationis conceptum, cum res sit per se solum concursum effectivum abque ullo concursu materiali præiacentis

centis subiecti, iuxta igitur hæc rigorosi vocabuli creationis acceptionem movetur præfens quaestio, itam sensus sit, an Deus ita producat gratiam sanctificantem, aliosque habitus supernaturales in anima nostra, ut ipsa non concurrat ad talem productionem in genere materialis causæ per influxum eadè vim, & sustentantur; sed solum se habet per modum subiecti merè receptivi, sicut se habet corpus organatum in infusione anime intellectivæ, que hæc de causa verè, & proprie creari dicitur; in hoc loquamur sensu movetur quaestio, quia in alio sensu minus proprio, nempe morali, & tripliciter Scripturæ, & Patres frequenter pronunciant gratiam iustificantem, alioque supernaturales habitus in nobis immediate à Deo creati, quatenus sine nostris meritis nobis primò infunduntur, atque ita secundum estimationem moralem ex nihilo, idèdè ex nullis nostris meritis sunt, que expositio tuiti D. Thomæ *part. 1. q. 110. ar. 2. ad 3.* dum inquit: gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, idèdè in novo esse constituantur ex nihilo, idèdè non ex meritis secundum illud ad Ephes. 2. creati in Christo Iesu in operibus bonis, iuxta quem sensum etiam antiquiores Scholastici frequenter dicunt gratiam in nobis creatam, que non in hoc sensu movetur quaestio, sed iuxta propriam, & rigorosam creationis significatam.

Iam hæc quaestioem ex instituto tractavi *disp. 3. Phyl. q. 5. ar. 2.* ubi dixi probabile esse non solum actus supernaturales, sed etiam habitus educti de potentia sui subiecti, sed statim ac evulgatum est hoc meum placitum, com mota est ferè universa Scoticarum turba, quasi placulum dixerim præsertim in schola nostra, & primo quidè Poncius in quadam Appendice Apologetica contra me evulgata præsertim in hoc punctum vehementer excanduit, & nihil est rationes, quibus hoc problema à me stabilitum fuerat loc. c. evterere, cui tamen statim occurri disposui. *Metaph. q. 9.* Deinde etiam quidam alter Scoticus infersit nosse *part. 1. corollarium* Scoticus *cor. 26.* calumniam circa idem punctum in me strinxit, cui etiam nuper respondi in *1. sent. disp. 6. q. 2. ar. 2.* Verum quia Poncius in recensione sua Philosophiæ Parisiæ *disp. 77.* in ultima additione de accidentibus, ac formis supernaturalibus, rursus examinat, an sufficienter satisfecerim *disp. 12. Metaph.* contra me obiectis ab ipso in Appendice sua Apolog. cogor ego quoque eandem materiam rories disputatam resumere, ut videamus an solidius modo replicaverim, quam antea impugnavit, rationes, quibus illud problema iam stabiliverim.

Sed antequam ad rem accedamus, non possum non vehementer mirari, citatèq; ardentè, & anxie in me conspiraverint Scoticæ illi; nam si inde movetur, quod hæc opinio sit aperte contra Scotum, & omnes Scoticas, ut de facto reclamant, quod ad Scotum attingit, iam loc. c. ingenue sum protestatus me id non asserere, tanquam expresse de mente Scoti, imò ultro fateor frequentius oppositè pariter favere, nò tamen illi fernerè adhaerere, nam sæpius loquitur dubitative, & conditionatè, ut *1. dist. 1. 7. q. 1. ar. PP. in salub. ad 3.* cum inquit, quando igitur dicitur, quod omne supernaturale creatur, si concedatur de omni actu primo supernaturali, non oportet concedere de supernaturali, qui est actus secundus, quia ad ipsam concurrunt potentia creata & in ratione activi aliqua modo, & in ratione receptivi. Nec iuvat, quod ait Vulpes *1. 7. p. 2. disp. 3. ar. 1. n. 7.* Doctor non loqui conditionatè, quia *4. dist. 1. q. 1. & 5.* absolute pronunciat gratiam immediate à Deo fieri per creationem. Non iuvat inquam quia etiam ibi in *4. dist. 1. q. 1. lit. LL.* declarat opinionem Magistri, quod si forma accidentalis creetur, non ponitur de gratia, & charitate, &c. ubi ut vides, rursus conditionatè loquitur, & ex suppositione communi tunc forte opinio, quod gratia crearetur; & ex hac eadè suppositione loquitur deinceps in *q. 19. ad 2.* dum disputat de causalitate Sacramentorum respectu gratiæ, & de iniectione & destitutione gratiæ in anima nostra. Quod verò attingit ad Scoticas fallum quoque efficit omnes tam veteres, quam Recentiores in oppositam partem conspiratè, nam ex veteribus quidem Mairon ipse Scoti auditor *2. disp. 1. q. 9. palam* stat pro nostra opinione, quam etiam dixeret declarari his verbis, gratia magis proprie dicitur creari, quam lux, quia non tota causa naturalis concurrunt ad eius creationem, nulla enim causa efficiens concurrat, nisi Deus, sed materialis tabrum; anima autem rationalis magis proprie, quia ibi nulla causa naturalis concurrat in creando, quia à corpore organico non dependet nec in fieri, nec in esse, prævia tamen dispositione exigente anime creationem; Angelus autem creatur magis proprie, ut tantum divina voluntas concurrat nullam dispositionem exigente; hæc Mairon ibi, qui clarius loqui non pote-

rat pro nostra sententia; & Recentioribus verò Poncius ipse in *Carto Theolog. quamvis disp. 26. q. 3.* universalius docuit virtutes per se in talis creati, & non eadè est potentia anime, inferioris tamen *disp. 33.* ab initio loquens de causis productivis gratiæ ait solum Deum esse ejus causam efficientem, causam verò materialem in qua esse animam, vel voluntatem, que etiam causa materialis inquit respectivè est causa materialis, ex qua educitur, si educatur ullo modo, & non creatur; quibus verbis patet nec ipsum ad hæc sententia abhorrens.

Si verò reclamant, quia hæc nostra sententia est contra omnes Theologos tam veteres, quam Recentiores, ut ait Scoticus *cit.* hoc etiam fallum est, nam Recentiores omnes omnino oppositam docent, ut videtur est apud Vázquez *2. disp. 174.* Suarez *tom. 3. in 3. p. q. 62. ar. 4. disp. 9. sect. 1.* Coninch *disp. 5.* de habitibus supernaturalibus *disp. 3.* Turrianus *tratt. de gratia disp. 1.* de natura gratiæ habitibus *disp. 1. 2.* qui alios citant; neque quoad Recentiores testimonio illius Scoticæ standum est, quem certe scio nunquam illos vidisse, nec de eorum lectura satis delectari; Quo verò ad veteres, verum est quàm plures voluisse gratiam, & alia dona supernaturalia fieri à Deo per creationem, vel talem concreari, que tamen non omnes asserere in sensu, de quo est præfens quaestio; sed accipiunt creationem pro tali productione, quam non educatur effectus de potentia naturali subiecti; ut notavit Averl. *p. 1. q. 5. lect. 1.* sic enim gratia, & alia forme supernaturales verè non educuntur de potentia naturali subiecti, sed in summo creationem in sensu proprio, & rigoroso ab initio quaestioem indicato, scilicet, pro his solis effectibus, qui sunt propter independentem ab omni subiecto; planè in hoc sensu non dicuntur forme supernaturales creati, nam verè educuntur de potentia obedientiali sui subiecti, & proprio nomine dicuntur à Deo infundi; quod totum planè, & plenè docuit S. Thom. de *pot. q. 3. ar. 8. ad 3.* ubi cum dixerit quod gratia non proprie creatur ita subdit, *in se ipso tamen gratia accedit ad rationem creationis, inquantum gratia non habet causam in subiecto nec efficientem, nec talem materiam, in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus, unde statim subdit ad 4. quod aliqua forma de naturali potentia educi non possit, perit enim aliquo modo ad carentiam materię, ac proinde ad creationem; ut ergo dilucidè constet ex hoc gravissimo D. Thomæ testimonio, non absolute, & rigorose dixerunt veteres Theologi gratiam, & alia dona supernaturalia creati, sed in eo dumtaxat sensu, quatenus non educuntur de potentia naturali subiecti, sicut alia forme naturales.*

Si rursus reclamant sententiam nostram esse improbabilem quia est difflona Scripturis, & Patribus dicentibus gratiam creari, ut *Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus, idèdè, crea in me gratiam, quia sola mundati potest cor;* Ad Ephes. 1. *creati in operibus bonis,* hoc est tale, in quibus creatur gratia, qua mediant fiant opera bona, & *4. indulget novum hominem, qui secundum Deum creatus est, quatenus scilicet Deus creat gratiam, & virtutes;* quibus redditur novus. Tam dictum est ab initio quaestioem hæc, & similia loca ex D. Thomæ expositione intelligenda esse de creatione morali ad novam vitam ut etiam non obcurè indicant Patres; Tam quia vitam production gratiæ in Scriptura æque bene significatur interduo nomine generationis, ut *Jo. 3. Nisi quis renatus fuerit, non potest ingredi in Regnum celorum;* & colligitur ex *Trid. de iustificatione c. 3. & 4.* Tum tandem quia creare non semper in Scriptura significat creationem proprie dictam, que excludat educationem, etiam in *Genes. dicitur Deus creasse Cælum, & terram, etc. grandis, magnanim, & feminam;* quæ tamen creata non fuerit creatio proprie dicta, quia non fuerunt immediate ex nihilo creatæ; sed ex præjacente materia; ergo quamvis gratia interduo in Scripturis dicitur creari, non sequitur id intelligi necessarè debere de creatione proprie dicta. At inquit Poncius in *Carto Theolog. disp. 26. q. 3.* quamvis create in Scriptura non significet creationem proprie dictam, tamen quoties in Scriptura potest abque inconvenienti intelligi de creatione proprie dicta, ita melius intelligitur, quam de minus propriis; in prædictis locis potest intelligi quævis ullo inconvenienti de creatione proprie dicta, & ita de facto antiqui Theologi prædicta loca intellexerunt, & auctoritas communis Scholasticorum antiquiorum est magni momenti ad intellectionem Scripturæ, & sine dubio præferenda est junioribus Theologis. Hæc tamen replicæ parvè sunt momenti, nam Scriptura indifferenter loquitur de creatione hominis, & ejus regeneratione per gratiam; & fallum est omnes antiquos scholasticos loca illa intellexisse de creatione proprie dicta, ut constat ex testimonio Divi Thomæ, qui ceteris est præferendus, ab initio quaestioem adducto



ducto loca illa explicantis de creatione motali ad novam vitam. Si tandem contra hanc opinionem reclamem ob aliquam rationem urgentem pro opposita, hoc etiam sine ullo dicitur fundamento, nam multe rationes solent afferri, quas ultro Pontius fatetur non concludere, nisi quod non repugnet gratiam, cui erantque virtutes infusus creati, & quod nulla sit ratio a priori, aut a posteriori, ex qua colligatur, quo de facto educantur; sed an hoc sit verum, iam ad rem veniamus, & videamus, quam bene replicet ad obiecta, quibus *disp. 1.2. Metaph. q. 9.* iam eius relecti solutiones, quas in Appendice Apolog. attulerat, rationum adductarum *disp. 3. Phys. q. 5. art. 2.* pro hac nostra sententia.

ARTICULUS PRIMUS.

Defendantur rationes partis negantis contra Pontium.

**45** Prima ratio eratur, omnis forma accidentalis, cum sit apta inherere subiecto, nata est quoque fieri, & conservari dependenter a subiecto, ergo cum habitus supernaturales sint forme accidentales, debent fieri dependenter a subiecto, & consequenter educi, & non creati. Respondet Pontius in Appendice peti principium in antecedente, quod ab omnibus Thomis, & Scotis negaretur. Replicabam *disp. 1.2. Metaph. q. 6.* non peti principium, nam si forma aliqua nata est inherere subiecto, statim sequitur modum factionis eius esse per dependentiam a subiecto; sicut e contra eo ipso, quod aliqua forma nata est per subsistere, seu existere independentem a subiecto, statim sequitur modum factionis eius esse per independentiam a subiecto, ergo valet arguere, anima rationalis est forma per se existens nata, & non alteri inherere, ut subiecto; ergo nata est fieri, & conservari independentem ab eo; sic e contra valet arguere, omnis forma accidentalis est apta inherere subiecto; ergo nata est fieri, & conservari dependenter ab eo, non ergo in eo antecedenter petitur principium. Respondet modo rursus Pontius *disp. 71. c.* in ultima additione; quod hic dicitur non tollit, quominus petatur principium in illo antecedente quia est directè quod negant, qui creationem formarum supernaturalium defendunt; nec vera est probatio, qua id probatur; nec valet consequentia de educatione accidentis petentis inherere ex creatione forme petentis per se subsistere, sed in toto dicitur a primo ad ultimum petitur principium, sicut petebatur in secunda parte antecedenti.

**46** Ut manifestè constet, quam immeritò dicat Pontius principium peti tam in eo primo meo dicitur, quam rursus in hoc secundo, hic adducenda est doctrina eiusdem de natura educationis, quam tradidit *disp. 37. de forma substantiali n. 26.* & est, quod forma in tantum dicitur educi de potentia subiecti in quantum in suo fieri dependet ab influxu materiali eius, quia non potest melius distingui actio educitiva a creativa, quam quod sit productio forme cum huiusmodi dependentia; quod bene probat ex Scoto *4. dist. 1. q. 1.* ubi ait formam, que creatur, prius natura produci, quam uniat subiecto, & consequenter in suo fieri non dependere ab unione ad subiectum, ergo intendit formam, que non creatur, non posse produci prius, quam uniat, & consequenter eam dependere in fieri ab unione, atque ad e terminè istius unionis, quod est subiectum; Hinc infra *n. 37.* probat omnes formas substantiales præter animam rationalem educi de potentia materia, quia experientia constat causam omnem secundam in productione cuiusvis forme ita dependere a materia; seu subiecto, ut nec possit produci, nec conservari aliquam ab ipso subiecto; ergo signum est, quod illa forma dependeat a subiecto in esse, & conservari, & consequenter, quod educatur ex ipsius potentia, quandoquidem educitio nil aliud sit, quam talis dependentia; Et hinc tandem inferit *disp. 65. de anima rationali n. 36.* probatè contra animam rationalem creati, & non educi, quia anima rationalis non dependet in fieri, & conservari a suo subiecto, ergo non educitur ex illo, & consequenter creatur; consequentia patet, quia quæ educuntur dependent in fieri, & conservari naturaliter, loquendo ab eo, ex quo educuntur; ita optime, & Scotie dicitur Pontius locis citatis; nempe sic contra animam rationalem ex hoc quod anima rationalis non dependet in fieri, & conservari a suo subiecto, inferit ipsam creati, & non educi; & e contra; quia alia forma præter eam dependet a subiecto in fieri, & conservari, inferit eas educi, & non creati.

**47** Nunc autem meus ille dicitur, in quo ait Pontius principium peti a primo ille ad ultimum, est omnino similis suo iam relato, ita enim dicitur, sicut valet arguere, anima

rationalis est forma per se existens nata, & non alteri inherere, ut subiecto; ergo nata est fieri, & conservari independentem ab eo, & consequenter creati; sic e contra valet arguere, omnis forma accidentalis apta est inherere subiecto; ergo nata est fieri, & conservari dependenter ab eo, & consequenter educi; hic (inquam) est similis omnino dicitur, nam formam natam esse inherere subiecto idem est, quod natam esse informare subiectum, seu subiecto inesse cum dependentia ab eo in suo esse, & conservari, sicut e contra natam esse subsistere, est idem, quod natam esse informare subiectum sine dependentia ab eo in suo esse, & conservari; ergo si forma aliqua nata est inherere subiecto, bene sequitur ex hoc sine ulla petitione principii, modum factionis eius esse per dependentiam a subiecto; & e contra, ex hoc, quod aliqua forma nata est per se subsistere, seu existere independentem a subiecto; sequitur sine ulla principii petitione modum factionis eius esse per independentiam a subiecto; hinc dicitur creatio tempore terminari ad rem subsistentem, & non inherentem, quia hæc, cum pendeat in esse, & fieri a subiecto, non potest esse terminus creationis, adeo in omni schola optima fit hæc consequentia sine petitione principii, hæc forma (scilicet natura) est inherens, ergo connaturaliter, seu iuxta connaturalitatem modum factionis eius neque esse terminus creationis. Suspiciat autem Pontium addidit interpedixisse modo petiti principium in utroque illo meo dicitur, eo quod non sufficienter consideraverit; quid dicat inherentia, & quid sit forma inherens, si namque considerasset, quod formam subiecto inherere est illud informare cum dependentia ab eo in suo esse, & conservari; sanè non dixisset peti principium, si ex hoc inferat, modum connaturalitatis factionis eius esse educationem, & non creationem, etenim nec ipse aliter probat modum connaturalitatis factionis anime rationalis esse per creationem, nisi quia est forma independentem a subiecto in suo fieri, & conservari; & e contra probat modum connaturalitatis factionis aliarum formarum esse per educationem, quia sunt dependentes a subiecto in suo fieri, & conservari.

**48** Quod autem me in hac induxit formulam est, quod idem argumentum ab eo adducitur in Curia Theol. *disp. 26. q. 3. n. 22.* & valde inconsideratè solvitur; adducit autem illud in hanc formam, virtus infusa est accidens, & consequenter non habens substantiam partialem, mediane qua possit conaturaliter per se subsistere, sed exigens ita conaturaliter inherere subiecto, ut non nisi miraculosè possit conservari sine subiecto; ergo peti produci dependet a subiecto, & consequenter non creatur. Conf. quia idem alia forme substantiales præter animam rationalem, & accidentales dicuntur educi, & non creati, quia in fieri, & conservari dependent a subiecto; & idè colligitur, quod sic dependant, quia non possunt conaturaliter aut produci, aut conservari ab ipso subiecto; sed virtus infusa non potest conaturaliter produci, aut conservari ab ipso subiecto, ergo dependet ab ipso in fieri, & conservari, & consequenter educitur. Respondet negando consequentiam, quia sicut ex formis substantialibus informantibus quedam nate sunt educi, que dicitur creati, ita possit fieri de formis accidentalibus inherentibus; ad quod impertinens est, quod habeant substantiam partialem, vel non: Ad Confirm. negat majorem, sed addi debet ulterius, quod non consistit, quin educantur, nec ulla ratio assignari possit, ob quod non dicatur dependere a subiecto, sine quo nec produci nec conservari possunt conaturaliter; secus autem est de virtutibus infusis; Et ex his deducit in productione virtutum infusarum duas intervenire actiones, unam qua secundum se producantur, quæ est independentes a concursu subiecti, & mediate qua gratia existeret, si poneretur, quamvis subiectum non existeret, alteram posteriore naturam, qua uniat subiecto, quod non contingit in productione formarum, que educuntur; quia huiusmodi eadem actione producantur, & educuntur.

**49** Hæc responsio planè funditus everit dicitur, quo Pontius *loc. cit. n. 46.* probat formas alias ab anima rationali idè educi, & non creati, quia (inquam) dependent a suis subiectis in esse, & conservari; ita planè procedit argumentum factum, virtus infusa exigit conaturaliter inherere subiecto, cum non habeat substantiam partialem, sicut anima rationalis, qui est purum accidens, ergo peti produci dependet a subiecto, & consequenter non creatur; aut ergo dicitur ille Pontius non est bonus, aut mala est hæc responsio, quam afferit huius argumento, quod penitus contudit cum suo illo dicitur, & planè respo est pessima, quia utique ex formis substantialibus informantibus quedam nate sunt educi, quedam creati, quia quedam habent substantiam partialem, quedam non; at falsum est ita fieri posse de formis accidentalibus inherentibus; & adhuc falsus est

ad id impertinens esse, quod habeant substantiam partialem, vel non; nam ipsemet *loc. cit.* ex eo probat animam rationalem non educi, sed creati, quia habet substantiam partialem, & non dependet in suo esse, & conservari a subiecto; Eadem ratione possunt quoque negat majorem illius confirmationis, nam (ut dicebam illo eodem penitus dicitur *disp. 37. cit. n. 37.* probat ipse alias formas præter animam rationalem educi a suis subiectis, quia in esse, & conservari dependent ab eis, nec aliam limitationem ibi adfert pro veritate talis dicitur: qualem modò comminicitur in hac solutione.

Demum falsum est conflatum illud, quod deducit, gratiam, & alias virtutes infusas prius creati a Deo, & postea uniri subiecto; quia licet absolute possit Deus creare gratiam extra subiectum, & postea uniri illi subiecto; tamen modus accidentis conaturalis, quod ex natura sua dependet a subiecto, est producti per actionem educivam, ut constat; ergo sine causa fingitur talis productio gratiæ extra subiectum in aliquo priori naturæ signo, Tum quia quamvis verum sit illas duas adiones intervenire in anime rationalis productione, alia liquidem actione producit, & alia uniri corpori, ut notat Doctor *4. dist. 43. quæst. 2.* hoc tamen rationaliter asseri nequit de productione gratiæ, quæ est forma accidentalispam quando dicitur anima rationalis prius in se produci in aliquo signo nature, quam sit in corpore, hoc sanè non ita intelligi debet, quasi in aliquo signo nature prius in se existat, quam in corpore, quia productio, & existentia rei non mensuratur per instantia nature, sed temporis, sed iuxta explicationem datam *disp. 2. Phys. q. 7. art. 2. n. 144. 145. & 146. & disp. 2. Metaph. q. 9. n. 285.* intelligi debet in eo sensu, quem docet Doctor *4. dist. 1. q. 1.* cum ait formam, que non est nata a materia dependentem in suo fieri, etiam si in omnino primo instanti fiat in materia, adhuc prius natura dicitur ordinem ad efficiens, quam ad materiam, quia est forma, que totaliter continetur in virtute activa agentis, & nullo modo in passiva subiecti; hæc enim ratione bene dicitur talis forma prius natura in se produci, quam sit in corpore, cum nature prioritas explicari solet per talem independentiam, cum igitur talis independentia a subiecto in esse, & conservari gratiæ convenit nequeat ratione sue accidentalitatis; consequenter nullo modo de ipsa verificari potest, quod dicitur de anima rationali, quod prius in aliquo nature signo in se producat per creationem, & in posteriori signo uniat.

**50** Secunda ratio eratur, idè anima rationalis dicitur creati, & non educi (licet in nullo instanti etiam nature prius sit in se, quam in corpore, cum existentia rei non mensuretur per instantia nature) quia de se nata est subsistere: ergo cum habitus supernaturales non sint forme nate subsistere, si in primo instanti, in quo fiunt, sunt in subiecto, planè ex eo educuntur: nam hoc est formam educi de potentia materie, non prius in se produci, quam in subiecto, si formæ est nata inherere. Respondet Pontius jam in hac ratione reprehendisse, quod dixerit animam rationalem non prius natura in se produci, quam uniat corpori, aut sit in corpore; & evidentè ostendisse id fuisse reprehendendum; deinde irrisset, & iterum irrideret rationem, qua inducitur sum ad dicendum, nempe quod existentia rei non mensuretur per instantia nature.

Sed reprehensiosem hanc, & irrisionem *disp. 12. Metaph. q. 9. n. 285.* rememari esse, & sine ulla proferri fundamento, iam ostendi, non enim absolute nego animam rationalem prius in se produci in aliquo signo nature, quam sit in corpore, sed dico id non ita intelligi debere (ut videtur intelligere Pontius) quasi in aliquo priori signo nature in se existat, & in posteriori uniat corpori, & in eo existat, quia existentia rei non mensuratur per instantia nature, sed temporis; cuius dicitur rationem ibi reddidi, quia nulla natura prioritas explicatur per hoc, quod in aliquo signo nature existat prius in quo non existat posteriori, etiam si de se prioritas natura ostendat, alioquin prioritas nature confunditur cum prioritate durationis, quæ sic explicari solet; sed explicari debet per posse esse in aliquo signo quantum est de se, in quo alius non existat, quemadmodum eam delectat *Art. 5. Metaph. 16.* quod illa dicitur priora natura, que possunt esse sine aliis, non tamen alia sine ipsis, cui rationi nihil proferat respondet Pontius, ut facere tenebatur, ut instanti Irrisionem coloraret; ex qua doctrina in eodem postea deducit quod quædam dicitur animam rationalem prius in se produci, quam sit in corpore, debet intelligi in sensu, quem docuit Scotus *4. dist. 1. q. 1.* quia forma, que non est nata a materia dependere in suo fieri, etiam si in omnino primo instanti fiat in materia adhuc prius natura dicitur ordinem ad efficiens, quam ad materiam; quia ratio anime rationalis bene dicitur

prius natura in se produci, quam sit in corpore, cum nature prioritas explicari solet per talem independentiam; Sed inquit Pontius, quod admittendo animam prius naturaliter esse a causa efficiente, quam materiam informet, admittit directè oppositum eius, quod de anima dixi in mea ratione, & fuit ab eo reprehensum. Sed hæc consequentiam probate debeat, ut ei fides adhiberetur, etenim quando in meo argumento nego animam in illo instanti etiam nature prius esse in se, quam sit in corpore, nego in illo sensu, quod id asserat Pontius; non autem in sensu, quem docet Scotus *4. dist. 1. q. 1.* cum ait formam, que creatur prius natura dicere ordinem ad efficiens, quam ad materiam.

Deinde ait: se jam respondisse in Appendice ad rationem, non valere consequentiam, quia licet sola causa, ob quam anima non educeretur; esset, quod nata esset subsistere, illa tamen causa posset dari, ob quam non educeretur habitus supernaturalis, quod si illa ratio conveniret anime, non esset verum, quod ideo solum crearetur, quia nata esset subsistere. Hanc solutionem *disp. 12. cit. n. 287.* iam reieci, & tunc iterum evidenter relicto, in causis præcis, & ad præcis sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis ex primo postulat notat Scotus *2. dist. 47. quæst. 5. tertio modo* in fine, ut si causa præcis infibillaris est rationalitas, vel humanitas, pariter negatio rationalitatis erit præcis, & adeo quata causa negationis infibillaris; ergo si sola, & præcis causa, ob quam anima non educeretur, esset, quod nata esset subsistere uti vera est, & ipse concedit *disp. 62. de animarationali n. 36.* falsum omnino est, quod alia adhuc causa posset dari, ob quam non educeretur habitus supernaturalis; ex hoc enim statim sequeretur, quod sola, & præcis causa non educationis anime non esset eius partialis substantia; Tum quia si præter substantiam, & independentiam a subiecto in esse, & conservari potest alia causa assignari, cur habitus supernaturalis non educatur, cur eam Pontius non assignat, cum hic potissimum talem causam vellemus; planè si alia inveniretur, utique eam de facto Pontius assignasset, & cum eam non assignet, inditum est nullam aliam dari præter assignatam in argumento; unde potiori jure possem ego Pontium in hoc puncto irriderè, cum ait aliam causam dari posse, ob quam non educatur habitus supernaturalis; & tamen eam non asserit. Dicebam pereres *loc. cit.* Pontium non fuisse percipere vim argumenti, quod quidem fundatur in ratione ipsa educationis, ac forme educibilis etiam ab ipso concessa; & rursus sic argumentum præcis habet; ideo anima rationalis dicitur creati, & non educi de corpore, quia de se nata est subsistere, & non dependere ab eo in esse, & conservari, unde quantumcumque producat in corpore, semper independentem ab eo producat, & illud respicit, ut subiectum mere in quo, non ex quo, ergo quia habitus supernaturales non sunt forme nate per se subsistere, si producantur in subiecto, sunt dependentes a subiecto, cum talem dependentiam exigat eorum natura inherens.

Respondet Pontius, negando hoc sequi ex illo antecedenti, & negando, quod talem dependentiam exigat eorum natura inherens, & ait id asserere, esse petitionem principii, mihi que ait super esse probandum, quod natura inherens alicuius forme exigat illam dependentiam a subiecto. Contra, probat ex modo dictis hoc consequens ex illo antecedente bene deduci in causis præcis sicut affirmatio est causa affirmationis ita negatio negationis, sed causa præcis, cur anima rationalis non educatur ex subiecto, est eius partialis substantia, ac independentia ab eo in suo esse, & fieri, nam ex hoc capite præcis probat ipse quoque *loc. cit.* animam non educi; ergo cum habitus supernaturalis careat tali substantia, ac independentia ob suam accidentalitatem, & naturam inherens, per educationem. Cum vero negat talem dependentiam exigere eius naturam adhesionem, nempe principium petere assumendo hoc ab ipso probatone planè rursus mihi auget suspitionem, quod non sufficere reflexerit supra dicitur, quod veritè inter inherentiam, & substantiam ad emittendum, se, & per se subsistere dicitur, quod non ab alio dependet, tanquam a subiecto, in suo esse, & conservari; & e contra illud dicitur inherens, quod dependet ab alio, tanquam a subiecto in suo esse, & conservari, ut notant omnes, qui sciunt significat substantiam, & substantiam accidentis, & inherentiam; hoc autem dico, non quia præter modum substantiam a toto genere accedente fecerim per independentiam a subiecto in esse, & conservari, quia omnis forma substantialis materialis causatur materialiter a subiecto, atque ideo ab eo dependet in suo esse, fieri, & conservari non minus, quam accidens, unde in hoc sensu etiam forme substantiales materiales sunt in subiecto



per iustitiam; sed ut ostendam inhaesionem prout significat dependentiam formae a subiecto in esse fieri & conservari, esse communem formis substantialibus materialibus, ac omnibus accidentalibus quod verò specialius, dicat inhaesionem prout formam accidentalem distinguere a substantiali, declaratum est *disp. 11. Metaph. quæst. 11.*

Tom quia, quod inherencia dicit essentialiter dependentiam formae a subiecto, tanquam a sustentante, ex ipso accidentis nomine deducitur, quod sonat cadentiam formae a subiectum hoc est dependentiam ab eo in suo esse, & conservari *disp. 11. Metaph. q. 1. cit.* dum explicamus quid specialius dicat inherencia, prout formam accidentalem a substantiali distinguunt; hoc explicamus per maiorem quandam indigentiam subiecti sustentantis, quam habet forma accidentalis supra quamcumque formam substantialem etiam materialem; quatenus indiget sustentari in alio alterius generis, & prædicamentum, quod non convenit formæ substantiali materiali, quæ sustentatur in materia, quæ est eiusdem prædicamenti substantiam cum forma. Tum quia, quando Poncius negat naturam inhaesionem habituum supernaturalium exigere talem dependentiam a subiecto in suo esse, fieri, & conservari; vel negat illi eis convenire, quatenus accidentia sunt, & sic nullum accidens, quæ tale, haberet talem existentiam dependentiam a subiecto quod est directè contra naturam accidentis, cuius esse est inesse *7. Metaph. vel negat eis convenire, quatenus accidentia supernaturalia, & neque hoc dici potest, quia actus supernaturales habent talem existentiam dependentiam a subiecto; ergo nulla est ratio, cur illi negari debeat;*

Alia rationes propugnantur.

54 Tertia ratio mea non vocatur a Poncio ad examen in illa ultima additione, neque mea replica, quam feceram *disp. 12. Metaph. q. 9.* ad eque solutionem in Appendice datam; quia (inquit fundatur in his ipsi principiis, quæ modò dixerat esse falsa, & non à me sufficienter probata. Sed principia, quæ dixi esse falsa & non sufficientia a me probata sunt ista, quod natura inhaesiva accidentis supernaturalis non exigat dependentiam a subiecto in suo esse, fieri, & conservari; & quod cum forma nata est inherere, si fiat in subiecto, fiat dependenti ab ipso in genere causæ materialis. Sed hæc principia sunt falsa, neque a me sufficienter probata. Iudicet prudens Lector ex supra dictis, ac etiam ex antiè dictis *disp. 12. Metaph. q. 9.* quem etiam rogo, ut illam tertiam rationem videat *quælibet citat.* responsum Poncii, ac meam impugnationem *num. 283. & 289.* statim namque constabit non ea de causa Poncium examen illius rationis dimisisse, sed quia in ejus solutione quamdam dixerat a me impugnatam, quæ omnino veri non poterat.

55 Quarta ratio erat ex auctoritate Scoti deducta *4. disp. 1. q. 1. §. 2. ad dicit potest*, ubi omnem illam formam vocat materialem, id est ex materia educatam, vel educibilem, quæ ex natura sua inclinatur naturaliter, ut sit actus materiae, ita ut supra natura aliter nequeat existere, sed hæc ratio convenit habitibus supernaturalibus, ergo non creantur, Poncius inquit etiam omittit huius rationis examen, quia ego quoque fateor ejus explicationem illius Scotiæ propositionis, *formam autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex natura sua inclinatur naturaliter, ut sit actus materiae, sive sit substantialis, sive accidentalis, esse bonam, & convenire cum mea, ut nempe omnis illa forma sit materialis, quæ necessariò ex natura sua inclinatur, ut sit actus materiae cum dependentia ab ipsa; hoc autem supposito, inquit, manifestum est ex loco Scoti non concludi ullam formam esse educibilem ex natura sua, nisi quæ petit dependere, & consequenter, nisi probet Mastrius habitus supernaturales petere dependere, ex illo loco non bene concludi, quod sint supra natura educibiles nec valet ad id probandum, quod petant existere in subiecto, & non sint nati subsistere, ut patet ex hæcenus dictis.*

Fateor eam explicationem esse bonam, & ex loco Scoti non concludi ullam formam esse educibilem ex natura sua, nisi quæ petit dependere a materia in suo esse, fieri, & conservari; Sed fallum est hæc rationem non competere quoque habitibus supernaturales, quia ut dixi *disp. 12. cit. num. 290.* Scotus ibi ab ea definitione formæ materialis solam animam rationalem excludit, quia non cum tali necessitate inclinatur, ut sit actus materiae, cum supra natura, & secluso miraculo, possit extra illam existere: unde præter animam rationalem sub ea descriptione omnem formam comprehendit, sive sit substantialis, sive accidentalis, ut patet ipso contextu; unde statim ex hoc concludit nullum Angelum

possibile substantiam creare ex prima conclusione, nec accidens aliquod ex secunda, quia accidens a creatura creati non potest: ergo sub forma materiali in ea conclusione secunda comprehendit omne accidens in universum, tam corporeum, quam incorporeum, tam naturale, quam supernaturale. Deinde satis probatum est supra, ac etiam *disp. illa 12. quæst. 9.* habitus supernaturales petere dependere a subiecto in esse, fieri, & conservari: nam hoc eis convenit ex ratione generica accidentis, ut sic, cuius esse est inesse saltem in aptitudine; neque repugnat ex ratione specifica supernaturalitatis, ut patet in actibus ipsis supernaturalibus. Sed hic adverte, quæso, ridiculam in præfatis Poncii verbis contradictionem, non nisi ex magna libidine impugnantis extortam; inquit enim, *nisi probet Mastrius habitus supernaturales petere dependere, ex illo loco non bene ratiõnem concludere, quod sint supra natura educibiles*, quibus verbis mihi proponit medium, quod uti debeam ad ostendendum habitus supernaturales fieri per educationem, & non per creationem, nempe quod petant dependere a subiecto, & statim subdit, *nec valet ad id probandum, quod petant existere in subiecto, & non sint nati subsistere*, quibus verbis declarat medium, quod immediate antea mihi proposuerat, ut effectus, & idoneum ad illud ostendendum esse proflus inutile, & nihil valere; nam petere existere in subiecto, & petere dependere a subiecto, mihi videtur idem; aut ergo mihi illud voluit, ut sibi manifestè contradicere.

56 Quinta tandem ratio erat, quod actus supernaturales educuntur, & non creantur: ergo idem dici poterit de habitibus; nam nulla ratio potest adduci de habitibus, quæ non elidatur in actibus. Negavit consequentiam Poncius, quia est maxima ratio, cur actus non creentur, quandoquidem dependent à concursu effectivo causæ creatæ, quæ non est nata concurrere ad terminum creationis, qualis ratio non habetur de habitibus, unde quam quis actus educantur, non lequitur quod educantur habitus. At hæc disparitatem ad rem non fatere ostendi *disp. 12. citat. numero 291.* non enim idè Deo dicitur creare habitus supernaturales, quia immediate illos producat absque interveniu causæ secundæ efficientis, nam se solo producit alias formas, quæ educuntur, ut multi dicunt de vegetativa, & sensitiva. Tum 2. quia concursus causæ secundæ materialis excludit creationem (licet per errorem interpreti ibi educationem) non autem concursus causæ secundæ efficientis. Tum 3. quia quamvis nulla causa effectiva secunda concurrat cum Deo ad producendum habitus supernaturales, possent tamen educi, si producerentur dependenti a subiecto. Tum 4. quia Theologi ponunt quoddam actus supernaturales in nobis a Deo immediate operatos, quos videtur etiam ponere deductos, ergo creatio, vel educio alicujus formæ non ponitur, vel auferretur per concursum causæ secundæ efficientis, vel negationem ejus; non ergo ex hoc actus dicitur educi, habitus autem non educi, quod ad illorum productionem concurrant causæ secundæ; ad hos verò non ita. Denique urgebam disparitatem illam non posse adduci sine manifestâ petitione principii, nam disparitas est, quod actus non creantur, quia potentia nostra ad illos concurrat, quæ nequit tendere in terminum creationis; habitus verò non producantur a nostra potentia, quia creantur; petitur manifestè principium, quia hoc est in contravertis, ac creantur.

57 Respondet, hæc nihil facere contra suam disparitatem, quia non dixit propterea solùm habitus creati, quia non producantur à nobis effectivè; sed dixit propterea actus non creati, quia producantur a nobis effectivè. & nos non possumus concurrere ad terminum creationis; & dixit propterea esse aliquam disparitatem, ob quam quamvis actus educantur, non idè debet educi habitus, nam ex concursu nostro effectivo ad actus potest colligi, quod non a creentur, quod colligi nequit ex concursu nostro effectivo ad habitus supernaturales, quia non habemus talem concursum ad illos. Ad 2. recognoscit prius errorem jam à me notatum in impressione, respondit illud verum esse, sed non ad rem, quia licet defectus concursus causæ secundæ efficientis non excludit educationem, tamen concursus causæ secundæ talis excludit creationem, cum non possit terminari ad creationem, & supponat, sive involvat concursum causæ materialis, sine quo nequit esse educio; & propterea cum causæ secundæ concurrant ad actus supernaturales; sequitur illos educi; & cum non concurrant ad habitus supernaturales, sequitur quod non omnis ratio, quod probat educationem actuum, probet educationem habituum. Ad 3. concedit totum, sed nihil

nihil inde habetur ad rem, quia non dicit solam causam, ob quam habitus supernaturales creentur esse, quod à solo Deo producantur, sed dicit causam sufficientem ad hoc, ut non debeant educi ob rationem illam assignatam, ob quam dici debent ad educi, esse quod producantur à solo Deo, à quo solo non producantur actus. Ad 4. concedo antecedente negat consequentiam qua parte dicitur, quod creatio non ponitur, nec auferretur per concursum causæ secundæ efficientis, quia quotiescunque est concursus talis causæ secundæ, non est creatio, quoad reliquas partes transeat illa consequentia. Ad ultimum negat committi petitionem principii in illa disparitate, non enim dicitur in illa, idè habitus non produci à potentia, quia creantur, quia id utique esset petere principium; sed dicitur disparitatem esse inter illa, quod habitus non producantur effectivè à nobis (quod omnes concedunt, non ex eo quod creentur, quod hoc non admittitur ab omnibus, sed ex aliis principiis theologicis) actus verò producantur, & hinc deducitur aliquam esse rationem, ob quam colligi potest educio actuum, quæ ratio non currit pro educatione habituum, nimirum concursus causæ secundæ effectivæ, qui haberi neque concursu causæ materialis, & consequenter absque educatione.

58 Sicut ingenue dixi Poncium nihil omnino satisfacere rationibus præcedentibus, & impugnationibus meis suarum solutionum, ita nunc ingenue fateor in examine hujus quintæ rationis non sine fundamento loqui, ut hæcenus est locutus, quæ negari nequit ex concursu nostro effectivo ad actus posse colligi, quod non creentur, eò quod talis concursus semper annexum habet concursum causæ materialis, quod colligi nequit de habitibus, cum non habeamus talem concursum ad eos, sed immediate à Deo producantur; Verùm est advertenda probatio consequentiæ, quam non adducit Poncius, & erat, quod si actus educantur, idem dici potest de habitibus, nam nulla ratio potest adduci de habitibus, quæ non elidatur in actibus, non dico nullam rationem adduci posse pro educatione actuum, quæ etiam non militet de educatione habituum, sed quod nulla ratio adduci potest pro creationem habituum, quæ non elidatur in actibus; Poncius autem in sua responsione contendit ostendere dari rationem pro educatione actuum, quæ non currit de habitibus, quod ego etiam gratis concedo, & sentiva, statim ex hoc deduci rationem pro creatione habituum, quæ elidi non potest in actibus, quod scilicet producantur à solo Deo, à quo solo non producantur actus; & idè illi creantur, non isti; hæc consequentia nulla est, quamvis enim bene sequatur, actus producantur a nobis: ergo non creantur, quia concursus causæ efficientis creatæ semper supponit concursum causæ materialis; tamen è contra non valet, habitus à solo Deo immediate producantur sine concursu nostro; ergo creantur, nam se solo producit alias formas, quæ educuntur, ut dicunt nonnulli de vegetativa, & sensitiva; Deinde vis mearum impugnationum illius sue solutionis, ut constat ex illo meo discursu, consistit in hoc, quod si concursus causæ materialis formaliter, & immediate excludit rationem creationis à factione formæ, non autem concursus causæ secundæ efficientis nisi materialiter, & concomitanter ratione concursus materialis annexi; atque idè si Deus ad factioem alicujus formæ uteretur concursu causæ materialis secluso quocumque concursu efficiente causæ secundæ, talis forma diceretur educi, & non creati; & consequenter bene adhuc salvari, quod habitus educantur, si potentia nostra concurrat cum Deo in genere causæ materialis ad eorum productionem, etiam si non concurrat in genere causæ efficientis; quamvis ergo valeat, actus producantur à nobis effectivè, ergo educuntur; non tamen valet, habitus non producantur à nobis effectivè, ergo creantur.

59 Itaque solutio ad primam impugnationem valet utique eo capite, propterea actus non creati, quia producantur à nobis effectivè, & consequenter non sine concursu materialis causæ; non tamen è contra valet inferre propterea habitus creati ex eo, quod fiat à solo Deo sine concursu causæ secundæ efficientis, quia calor etiam fieret à solo Deo, non crearetur, quod fieret cum dependentia à subiecto, & hoc est præcisè intendit, neque impugnationis. Solutio ad 2. bene salvat concursum causæ secundæ efficientis excludere creationem, cum non possit terminari ad creationem, & semper supponit concursum causæ materialis; non tamen salvat, quod defectus causæ secundæ efficientis excludat educationem, adeo ut valeat inferre habitus creati, quia ad eos non concurrat causa causæ efficientis, sicut ad actus; & ratio est, quia solus concursus causæ materialis formaliter, & immediate excludit rationem creationis à factione for-

Mela. In Secunda. Sentent.

me, quem potest adhibere Deus sine ullo concursu causæ secundæ efficientis. Solutio ad 3. claudicat, quia falsum est esse sufficientem causam creationis habituum, quod producantur à solo Deo, à quo solo non producantur actus; hoc enim est, quod directè impugnant illa mea argumenta, eam scilicet neminem non esse solam, & præciam causam creationis habituum, sed neque etiam sufficientem, ut contendit Poncius. Neque etiam solam à 4. satisfacit, quamvis enim verum fit per concursum causæ secundæ auferri creationem, quia quotiescunque est concursus causæ secundæ efficientis, non est creatio; falsum tamen est per negationem ejus poni creationem, nam à solo Deo potest educi calor, & quælibet alia materialis forma absque ullo concursu efficiente causarum secundarum; unde licet ex concursu causæ secundæ efficientis sufficienter colligatur educio actuum, tamen ex negatione ejus non sufficienter colligitur creatio habituum.

Dehinc licet ex ea explicatione à Poncio adhibita sufficienter evitetur explicita principii petitio, non tamen evitatur implicita; dicendo enim actus educi, & non creati, quia producantur a nobis, qui tendere non possumus in terminum creationis, implicitè significatur in tantum habitus supernaturales à nobis non produci, sed immediate à Deo, quia sunt per creationem. Dices, ex respõsione Poncii saltem deduci aliquam esse rationem, ob quam colligi possit educio actuum, quæ ratio non habetur ad probandum, quod habitus educantur; ergo non omnis ratio, quæ probat actuum educationem, probat quoque educationem habituum, atque idè absolute non valet illa consequentia, actus supernaturales educuntur, ergo & habitus; ut quinta ratio deducebat. Resp. consequentiam illam tenere, quia quamplures alie disparitates, quæ solent afferri, parum valent, ut constabit ex argumentorum solutione, & hæc ipsa disparitas à Poncio adducta, quod effectivè concurrunt ad actus, non ad habitus, præterquam quod non probat actuum educationem formaliter, & directè, sed tantum materialiter, & concomitanter, ut explicatum est; non ob id tamen excludit absolute educationem habituum, quamvis enim valeat hæc consequentia saltem materialiter, actus producantur à nobis effectivè, ergo educuntur; non tamen valet, habitus non producantur à nobis effectivè, ergo creantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Objectiones Scotistarum.

IN oppositum primò obicit Fuentes 1. *Phys. quæst. 4. diff. 59* 2. art. 4. nam gratia, & ceteri habitus ita excellentes sunt in ordine gratiæ, & gloriæ, sicut anima rationalis in serie naturæ; sed hæc ob suam perfectionem peti à Deo in nobis creati; ergo & illi habitus ob suam excellentiam. Deinde isti habitus ab intrinseco, & substantialiter dicuntur supernaturales; ergo ab intrinseco petunt produci extra vires cognatulas causæ creatæ; sed nulla actio datur totaliter supernaturalis dependenti in fieri à subiecto; ergo deducitur est istos habitus à Deo supernaturaliter creati, & non educi de potentia subiecti. Denum arguit ex D. Thoma, nam habitus hi elevant animam, & ejus potentiam supra totum esse naturæ; ergo nec materialiter in aliquo principio naturali continentur.

60 Respondeo hanc rationem ex excellentia horum habituum deductam refundi in actibus, ut dixi in *Phys. loc. cit.* nam etiam actus sunt ordinis superioris, & gratiæ, & excellentiores ipsi habitibus, quatenus immediatius potentias conjungunt intentionaliter obiecto supernaturali; & saltem actus gloriæ, quales sunt visio beata, & fructus, sunt excellentiores habitu gratiæ, & etiam ipsi elevant animam supra totum esse naturæ, & tamen tali, ac tanta excellentia non obstant educuntur, idem ergo dici poterit de habitibus. Ad 1. itaque negatur paritas in majori assumpta, quia habitus supernaturales, licet ob eorum excellentiam omnem causam secundam in genere efficientis causæ excluderent; quia nihilominus sunt formæ accidentales, causam materialem non excludunt, si connaturaliter fieri debeant; ac anima rationalis, quia est forma substantialis, & spiritualis, attingit nequit à potentia generativa, quæ materialis est, in genere causæ efficientis; & quia habet suam substantiam partialem, nequit attingi à corpore, in quo recipitur, in genere causæ materialis. Ad 2. hæc quoque ratio ex supernaturalitate deducta refunditur in actibus, nam etiam visio, & fructus beata sunt actus supernaturales secundum substantiam, ut dictum est in 1. sent. *disp. 6.* & tamen educuntur de potentia

B 2 subie-



subiecti; atque ideo supernaturalitas secundum substantiam educationi non obstat etiam in habitibus; itaque concessio antecedenti negatur consequentia, si presertim in consequentia fiat sermo de concursu causae creatae. In genere causae materialis, cum presertim in actibus talis supernaturalitas secundum substantiam neque excludat concursum causae creatae in genere causae efficientis; negatur etiam subtilitate minor, nam visio beata est actio totaliter supernaturalis, quae tamen dependenter fit a subiecto. Ad ultimam, illa etiam ratio eliditur in actibus, qui elevant animam, & eius potentias supra totum esse naturae, & adhuc excellentius, quam faciant habitus; & tamen materialiter continentur in aliquo principio naturali, imò & virtualiter in genere causae efficientis saltem remotè; quando ergo communiter dicitur formam supernaturalem non contineri in causa naturali, id totum intelligitur in genere causae efficientis, quatenus homo non potest ex suis viribus attingere aliquem actum supernaturalem sine specialii auxilio Dei, non autem per hoc excluditur concursus creaturae in genere causae materialis. Dices subiectum naturale non posse habere causalitatem in formam supernaturalem. Resp. argumentum posse retorqueri de actibus, atque idè dicitur, quod licet subiectum naturale nequeat habere causalitatem materialem in formam supernaturalem per potentiam naturalem, potest tamen per obedientialem, ut patet infra n. 67.

61. Secundo arguit Faber *disp. 6. cit.* si gratia generaretur ex subiecta materia, non produceretur a solo Deo, sed a creatura quoque, consequens est falsum, ergo &c. consequentia patet, quia quod pendet in esse ab aliquo non potest pendere, nisi in aliquo genere causae; ergo si ita pendet gratia a subiecto, non pendet in esse a solo Deo; falsitas consequentis probatur ex *Plalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, quibus verbis significatur gratiam esse donum solius Dei; at si pendere a causa creatura, ut a subiecto, à quo educeretur, non posset tribui Deo speciali modo. Deinde arguit ex D. Thoma, nihil agit ultra suam speciem, quia semper causa est prior effectu; at donum gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit, nisi participatio quadam divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam; ergo est impossibile, quod aliqua creatura causet gratiam. Denique si gratia non creatur a Deo, hoc evenit vel quia Deus non vult creare illam, vel quia non potest, vel quia hoc repugnat ex parte gratiae; non primum, neque secundum, ut patet, ergo relinquuntur tertium; at non repugnat gratiae creati, quia est accidens absolutum, & omne tale potest a Deo conservari sine subiecto absque ulla repugnantia ergo & fieri sine subiecto, & absque dependentia ad subiectum, quia hoc non est dissimili illi.

62. Respondet distinguendo consequens, gratia non produceretur a solo Deo, sed etiam a creatura, in genere causae efficientis, nego, si enim a solo Deo produceretur, in genere causae materialis, concedo, quod etiam a creatura causetur, & in hoc eodem sensu nego falsitatem consequentis; ad probationem dico ex illo *Plalmi* minime probari gratiam a creatura non pendere in genere causae materialis: per gloriam enim intelligitur visio, & fructio beata; ad quas conceduntur Theologi concurrere intellectum, & voluntatem beatam, nedum in genere causae materialis, sed etiam efficientis; tribuitur ergo Deo gratia, & gloria speciali modo, etiam si gratia pendeat à voluntate in genere causae materialis, & gloria, seu fructio tam in genere causae materialis, quam efficientis, quatenus homo non potest ex suis viribus in genere causae efficientis attingere aliquem actum supernaturalem sine speciali Dei auxilio, & tantò minus habitum non autem per hoc excluditur concursus creaturae saltem in genere causae materialis, qui concursus nullam dicit perfectionem, sed potius maximam imperfectionem. Ad 2. gloria excedit omnem facultatem naturae magis, quam gratia, ac etiam in gradu excellentiori est participatio divinae naturae; & tamen pendet ab intellectu, & voluntate beatorum, non solum in genere causae materialis, sed etiam efficientis: sensus ergo est gratiam, & cetera dona supernaturalia non posse a creatura attingi viribus solius naturae, & in genere causae efficientis; sed indigere speciali Dei auxilio, per quod non excluditur concursus ipsius creaturae saltem in genere causae materialis respectu tam actuum, quam habituum supernaturalium. Ad ultimum licet non repugnet gratiae creati ob rationem ibi adductam: non tamen sequitur, quod debeat creati, si debeat fieri iuxta ejus naturam, & aptitudinem, sicut neque quantitati repugnat conservari a Deo sine subiecto, nec tamen sequitur, quod ita debeat conservari, iuxta ejus connaturalitatem existendi modum; licet ergo

absolutè possit Deus creare gratiam extra subiectum, & postea unire illam subiecto, tamen modus accidenti connaturalis, quod ex natura sua dependet à subiecto, est produci per actionem educivam.

Tertio arguit Vulpes *disp. 3. cit. art. 1. num. 8.* ex spiritualitate habituum supernaturalium, & gratia, lumen gloriae, & alii habitus supernaturales sunt formae omnino spirituales, ergo sunt immediatè à Deo per creationem de novo presupposito subiecto; probatur consequentia, quia omnis illa forma dicitur materialis ex *Scoto 4. dist. 1. q. 1. lit. GG.* quae ex natura sua ordinatur, ut sit actus alterius, de cujus gremio educatur, & à quo pendet in fieri, si fuerit substantialis, si ve accidentalis: Tam quia ex alio capite à priori ratio reddi nequit, cur anima intellectiva sit forma spiritualis postulans per creationem fieri; licet enim, cum sit, ad actuandum corpus naturaliter ordinetur, in suo tamen fieri de corpore non educitur, sed extrà advenit, cum creatur: ergo si forma praedicta educeretur de potentia materiae, non spirituales, sed materiales omnino dicerentur. Confir. quia si gratia, & alii habitus supernaturales educuntur de potentia subiecti, hoc maximum sequitur absurdum, quod poterit agens naturale naturaliter, & immediatè sua virtute praedictas formas attingere, cum limitatio fuit potentia solum prolibeat aliquid simpliciter de nihilo producere, seu independentem ab omni subiecto. Nec valet dicere praedictas formas in rationalibus creaturis potentialiter, tanquam in subiecto, precise contineri respectu divinae virtutis modo scilicet tantum illi proportionato, ut illius virtute educatur. Nam contra est, quod species intelligibiles, actus omnes intelligendi, & volendi, ac habitus acquisiti speculativi, & practici intellectivi, & appetitivi non producuntur ab agente creato per educationem de materia prima, sed de aliqua alia substantia creata corporea, seu materiali, sed de eadem parte intellectiva; cui proximè insunt, & immediatè inherere: ergo fuga est responsio non realis argumenti solutio.

Respondet etiam hoc argumentum ex spiritualitate deductum retundam actibus supernaturalibus, qui omnium sententia educuntur de potentia subiecti, & tamen adhuc sunt spirituales; negatur itaque consequentia, ad probationem dico falsum esse qualescumque educationem de potentia subiecti facere formam materialem, ut dixi *loc. cit. in Phys.* si quidem species intelligibiles, & actus intelligendi, & volendi educuntur de potentia animae, & tamen formae materiales non sunt, id est extensae, & corporeae; unde sola educio formae de potentia subiecti corporei, & extensae facit formam materialem corpoream, & extensam. Ad aliam probationem dicendum, quod hoc de causa animae rationalis diceretur materialis, hoc est, corporea, & extensa, si de subiecto educeretur, quia ejus subiectum est corpus, & extensum; quod si esset incorporeum, & in extensum, non sequeretur esse materialem in hoc sensu, quia educio formae non reddit ipsam materialem in hoc sensu scilicet corpoream, & extensam, sed in eo tantum, quem docet *Scotus 4. dist. 1. q. 1.* ab ipso Vulpio citatus, ubi illam formam appellat materialem, quae nata est à materia pendere, & non in se subsistere, à qua definitione solum animam rationalem excludit, ut notatum est infra n. 54. Ad Confir. negatur consequentia: falsum siquidem est agens naturale attingere posse immediatè sua virtute naturaliter omnem formam de potentia materiae educibilem; etenim actus supernaturales sunt formae educibiles de potentia subiecti, & tamen ab agente naturali propriis viribus attingi nequeunt: & anima sensitiva, & vegetativa sunt formae educibiles ex materia etiam corporea, & extensa, & tamen in multorum sententia à solo Deo ponuntur immediatè educi: unde responsio inter arguendo data est optima, & replica contra eam nullius momenti: non enim sequitur, quod si agens naturale potest naturaliter educere de potentia animae species intelligibiles, actus intelligendi, & volendi, & alios habitus spirituales ordinis naturalis, possit similiter educere actus omnes, & habitus spirituales ordinis supernaturalis: nec video ex quo loco huiusmodi deducatur consequentia.

Quarto arguit Auctor ille controversarum inter Scotistas *65 contrav. 26.* medio quodam peregrino, & ab aliis haecenus inexcogitato: si gratia non crearetur, sed de potentia animae educeretur, haberet contineri virtualiter in potentia ipsius animae: sed hoc repugnat perfectioni, & supernaturalitati ipsius gratiae, ergo &c. probatur minor, si gratia non est tantae perfectionis, ut in sua productione possit admittit concursum creaturae per modum subiecti, poterit pariter admittit concursum ipsius creaturae per modum causae efficientis, & ita non à solo Deo poterit educi de potentia materiae;

tertius, verum etiam à creatura, quod etiam ipsi Adversarii negant: patet huiusmodi paritas, eò quia vilior, & imperfectior est concursus per modum subiecti, quam sit concursus per modum causae efficientis, quae de causa omnes facitur Deum non posse supplere concursum causae materialis in genere causae materialis, sed solum in genere causae efficientis; si ergo perfectio gratiae non est tam alterioris ordinis, ut admittat concursum villorem, & imperfectiorem, eò magis admittet perfectiorem, minisque suae perfectioni repugnabit.

66. Respondet, quantum valeat hoc argumentum satis constare ex dictis in *1. sent. disp. 6. q. 2. art. 3.* ubi ex instituto illud examinavimus, unde ex ibi dictis breviter negatur minor, repugnare scilicet perfectioni, & supernaturalitati ipsius gratiae, quod potentialiter continetur in potentia passiva obedientialis animae, ex qua educatur; ad probationem negatur paritas, plures enim sunt qualitates ordinis nedum supernaturalis, sed etiam naturalis, quae educit nequeunt è potentia materiae, nisi à solo Deo, & tales dicit Scotus esse qualitates corporum caelestium, quas inquit esse à Deo corporibus illi concretas, quatenus est administrator totius naturae, cum qualitates illae à terra natura creata caulat nequeant *2. dist. 3. qu. 1. lit. C.* & sic etiam arguit quamplures sententiam, & vegetativam in oviparis praerunt quales ordinis supernaturalis, quae ob earum excellentiam non nisi à solo Deo possunt educi de potentia animae; & cum dicitur, quod si gratia admittit in suo fieri concursum creaturae per modum subiecti, qui est imperfectior, pariter poterit admittit concursum creaturae per modum causae efficientis, qui est perfectior, quia si ille non repugnat suae perfectioni, tanto minus ille, negatur consequentia, quia ut dicebamus *loc. cit.* quanto concursus est major ex parte causae in effectu, tanto major est dependentia effectus ad illam; & quia dependentia in effectu dicit imperfectionem, quanto magis aliquis effectus a creatura dependet, tanto est imperfectior: minor autem concursus omnium caulatum est concursus causae materialis, & major omnium est concursus causae efficientis, quare à primo ad ultimum perfectior erit effectus admittens in suo fieri concursum creaturae per modum causae materialis dumtaxat, qui cum ipso admittit etiam concursum causae efficientis, ut potè qui minus erit à creatura dependens, & in infimo genere caulatitatis, qualis est causa materialis: sicut ergo non valet arguere, gratia dependet à creatura in infimo, & minime caulatitatis genere: ergo etiam dependere poterit ab ea in supremo, & maximo caulatitatis genere: ita atque non valet, gratia dependet à creatura in genere causae materialis, ergo pariter dependere poterit ab ea in genere causae efficientis; quia hoc est supremum caulatitatis genus, & illud infimum, argue ita potest non repugnare perfectioni gratiae, quod dependeat à creatura per modum causae materialis, quia hoc est infimum caulatitatis genus, & potest repugnare, quod ab ea dependeat in genere causae efficientis, quia hoc est supremum caulatitatis genus, ac proximè magis praerudicet perfectioni gratiae, quam dependentia in genere dumtaxat materialis caute; alia plura ad hoc argumentum spectantia vide *loc. cit.*

Aliae Scotistarum rationes excluduntur.

67. Quinto arguit alii, ut forma educatur de aliquo subiecto, hoc debet habere potentiam passivam naturalem respectu talis formae; sed voluntas, seu anima rationalis solum sunt in potentia obedientialis respectu habituum supernaturalium; ergo non educuntur de potentia voluntatis, seu animae. Respondet primo falsam esse maiorem ex dictis *disp. 2. Phys. num. 147.* formam enim educi de potentia materiae, seu subiecti aliud non est, quam eam produci dependenter à subiecto eam sustentante, si ve in ea recipiatur naturaliter, si ve neutraliter, si ve violentè, unde etiam calor educitur de potentia passiva aquae, est huiusmodi fit, & sic etiam aliae formae violentè educuntur de subiectis, in quibus recipiuntur contra eam inclinationem è contra verò materia est in potentia naturali ad animam, dicit enim naturalem inclinationem ad illam, & tamen ex ejus potentia non educitur, quia non producitur dependenter ab ea, ut subiecto sustentante; parum ergo refert, quod ut aliqua forma educatur de aliquo subiecto, hoc sit in potentia passiva naturali respectu illius; potest etiam negari minor, quia Doctor ad quæritum in anima potentiam passivam naturalem respectu ha-

Meld. In Secund. Sentent.

bitum supernaturalium *quæst. 1. prolog.* & in voluntate respectu beatitudinis *4. dist. 49. quæst. 10. 5. respondeo*, ut nos etiam ex instituto ostendimus in *1. sentent. disp. 6. qu. 2. art. 1.* quia ratione dicebamus *disp. 3. Phys. num. 75.* potiori ratione posse Scotistas hanc sententiam defendere, quam Thomistas, quia illa agnoscunt in anima potentiam passivam naturalem ad formas supernaturales, quam negant agni; Quia tamen gratia, & alii habitus supernaturales ab anima educuntur modo omnino supernaturali, nec ab ullo agente naturali educi possunt, nequeant dici contineri in potentia ipsius naturalis, quia sic significaretur eam potentiam virtute naturali ad actum reduci posse, sed in potentia obedientialis, quia sola virtute divina in actum reduci potest; quae quidem potentia obedientialis passiva in rebus entitativè, & materialiter non distinguitur à potentia receptiva naturali, violenta, vel neutra, sed tantum extrinsecè, & in ordine ad agens, ut dictum est *disp. 7. Phys. q. 6. art. 3.* quia ratione multa dicitur posse rebus convenire ratione potentiae obedientialis, quae non conveniunt ratione naturalis, quia per illam comparatur ad agens illimitatum, per istam verò ad agens limitatum unde dicebat Doctor *3. dist. 2. quæst. 4. A. & quol. 9. lit. B.* quod potentia obedientialis in creatura respicit effectum primi efficientis, non aliam potentiam activam; quapropter ad potentiam propriè obedientialem requiritur concursus specialis Dei, qui scilicet debetur non sicut ex natura lege, & supernaturalis vel quoad rem, vel quoad modum; itaque haec potentia obedientialis passiva, ex qua dicitur à Deo immediatè gratia educi per concursum specialem, materialiter coincidit cum potentia passiva naturali, violenta, vel neutra, formaliter verò cum potentia passiva supernaturali, quae à Doctore *q. 1. prolog.* dicitur illa, quae Deum, ut agens supernaturale respicit.

Ex his ergo constat ad argumentum non posse dici quod gratia creetur ex eo solum, quod in anima non sit potentia naturalis ad eam recipiendam, hoc est ab agente naturali ad actum reducibilis; quia hoc non obstantè adhuc vera fit cum dependentia à subiecto, ut eju cadentiam ad ipsam sustentante ei convenientem ratione fuit accidentalitatis; Quod verò hoc fiat ab agente naturali, & per actionem supernaturalem, non probat ejus productionem esse creationem, sed tantum educationem in creatura respicit effectum specialis Dei, & agens eam educens pariter supernaturale, erit autem naturalis educio; si forma fit naturalis, & ab agente naturali educibilis, sicut etiam è contra potest esse creatio formae naturalis, vel supernaturalis, si fiat extra subiectum; quare concludo, quod si forma fiat cum dependentia à subiecto, verè educitur, si ve fiat actione naturali, si ve supernaturali. Dices, gratiam creati, quia dat esse subiecto valde praerantius, quam sit ipsum subiectum. Contra, quia ut notat Doctor *3. dist. 13. q. 4.* totum genus substantiae excedit totum genus qualitatit, nec est convenientis, quod minima substantia in perfectione naturali excedat accidens quocumque, licet aliquid accidens in perfectione supernaturali, hoc est conjugando obiecto supernaturali, excedat substantiam; tale enim accidens in perfectione supernaturali, hoc est conjugando obiecto supernaturali, excedat substantiam, sed ex hoc, quod conjungitur immediatè obiecto perfectio; tum quia etiam concesse assumpto, adhuc negari debet consequentia, quia quilibet forma substantialis est nobilior materia, & tamen sola anima rationalis creatur, quia fit independentè à subiecto. Dices, creati, quia fit sine expulsiōe termini contrarii positivè, & tamen non creatur, sed educitur, quia fit dependentè à subiecto sustentante.

Sextò, P. Vacarius olim in Patavina Universitate Meta-physicus publicus *par. 1. Disput. Philosopharum* edita à quodam suo discipulo, de quo dixi *1. lib. sent. in epist. ad Ludovic. rem. disp. 4. de forma consilii. 2. c. 1.* ait nos *disp. 3. Phys. q. 5. art. 2.* sustinere non solum actus supernaturales, sed etiam habitus educi de potentia naturalis subiecti, idque nos asserere esse magis probabile in via Scoti, ac insuper dicere, quod licet Scotus inclinaverit in oppositam partem, id nos deterrere non debet, nam ubiqueque ponit gratiam, & cetera dona supernaturalia creati, vel loquitur conditionatè, ut in *1. dist. 17. q. 2. P. P.* vel textu signatur pro extra, ut eadem dist. propè finem, vel loquitur ad hominem, ut in *4. dist. 1. quæst. 5. 8. contra istam quaestionem*, & s. ad primam ergo quaestionem. Contra quo arguendo, inquit in primis hanc opinionem nullo modo probabilem esse in via Scoti; & deinde falsum esse, quod cum inquit gratiam, & dona supernaturalia creati, loquitur vel conditionatè, vel textus signatur pro extra, vel sequa-



ogatur ad hominem, quia licet in locis citatis possit concedi esse verum, tamen alius in locis citandis expressè dicit ad mentem propriam: & maxime 3. *dist. 11. q. 1. A.* ubi Scotus expressè dicit Angelos, animam rationalem, gratiam, & cetera hujusmodi creati, quia de nihilo producuntur. *Et 2. dist. 37. q. 1. A.* ubi ait gratiam esse à solo Deo per creationem, & quando destruitur annihilari. *Et 4. dist. 1. q. 1. PP.* ubi asserit gratiam non corruptam in nobis, sed annihilari. *Et 4. dist. 1. q. 3.* ubi in corpore quaestio non arguendo ad hominem, sed ex propria sententia dicit gratiam creati, & denique 3. *dist. 16. q. 2. B.* ubi rursus habet, quod gratia non destruitur, nisi annihiletur, Quoniam verò ad primam auctoritatem ex adductis *loc. cit.* respondi, quod Scotus sic loquitur, ne recederet à communi modo loquendi Scripturam, & Patrum, qui dicunt gratiam in nobis à Deo creati, vel concreari, quae tamen auctoritates possent explicari, ut D. Thomas exponit 1. 2. *q. 10. art. 3. ad 3.* quod gratia dicitur creati ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, id est in novo esse constituntur, ex nihilo, id est non ex merito, ita quod sensus Scripturam, & Patrum sit gratiam creati, & de nihilo produci secundum esse morale illius.

Hanc responsionem, & declarationem ibi rejicit, ut omnino Scoto contrariam *loc. cit. 3. dist. 11. q. 1. A.* nam ibi Scotus ponit multas creatioes acceptioes, & loquendo de creatione stricto modo accepta, quae negat omnem causalitatem secundam, etiam causalitatem materiae, dicit quod hoc modo Angelus, anima intellectiva, & gratia, & quaedam hujusmodi hoc modo creantur: ergo non loquitur de creatione secundum esse morale, sed secundum esse simpliciter reale; Tum quia si Scotus accepit creationem pro productione de nihilo secundum esse morale, opus esset dicere, quod Angelus, & anima intellectiva producentur de nihilo quoad esse morale, quod est ridiculum. Deinde arguit hae unica ratione, Supernaturale à nulla causa naturali potest attingi: sed gratia, & habitus infusi sunt supernaturales: ergo non possunt ab aliqua causa naturali attingi: ergo non possunt de potentia subiecti educi: minor patet, major probatur, quia quod est supra naturam non potest à naturali causa attingi, sed supernaturale est hujusmodi: ergo non potest à naturali causa attingi, aliter non esset supernaturale. Quoniam verò rursus ibi *76. respondi* negando majorem, quia supernaturalitas non impedit educationem habituum supernaturalium ex subiectis, nam visio, & fructus iunctus supernaturales, & tamen de potentia subiecti educuntur. Replicat hanc responsionem arguendo non satisfacere, quia actus visionis, & fructiois non sunt mere supernaturales, sed tantum dicuntur supernaturales ratione habitus supernaturalis concurrentis ad eorum productionem, scilicet ratione luminis glorie in visione, & gratiae in fructione ex Scoti *1. dist. 17. q. 2. P. P.* gratia verò est mere supernaturalis: aliud arguendum videtur. 2. de quo infra *q. 5. 1. nu. 173.*

Respondendo *loc. cit. dist. 13. Phys. q. 5. art. 2. nu. 74.* me quidem asseruisse probabile esse non solum actus supernaturales, sed etiam habitus educi de potentia sui subiecti, nunquam tamen dixi id esse magis probabile etiam in vi Scoti, ut mihi mala fide in argumento imponitur, imò cum ibi fatear Scotum inclinasse in oppositum partem, ut etiam refert arguens, quae cōsequenter dicere potuissent, id esse magis probabile etiam in via Scoti, cum unum ex his dicitur dicit aliud destrui: Ex quo confirmatur quod dicebam in epist. cit. ad lectorem, dicitur populum, qui sub proprio nomine excepta quaedam philosophica P. Vacarii in vulgavit, nonnulla ex proprio penu additis frivola penitus, & lugetica, de quorum numero dubio procul est haec ridicula impostura. Deinde si ingenue fassus fuisset in eodem propositio dixi contra Pontium, *dist. 2. Met. q. 9. nu. 192.* & alium quendam Scotistam *lib. 1. sent. dist. 6. q. 2. nu. 81.* opus, non fuisse, ut arguens addi insudaret in aggerandis, & exaggerandis Scoti testimonio pro parte opposita, cum totum ullo concesserim, addens Doctorem in his locis loqui ex suppositione communioris sententiae tunc temporis, & in quibusdam expressè loqui conditionatè, vel ad hominem, & ad concessis ab Adversariò, etiam in his, ubi à Scotistis, & ab arguente pretulerunt Doctorem esse absolutè, & non conditionatè locutum, quemadmodum contra Vulpem ostendi ad initio hujus quaestiois *num. 43.* Dixi etiam Scotum illis in locis ita loqui, ne recederet à communi modo loquendi Scripturam, & Patrum dicentium gratiam in nobis à Deo creati, vel concreari, quae PP. & Scripturam testimonio dixi intelligi posse in sensu morali juxta explicationem D. Thomae *loc. cit.* Quod autem replicat arguens hanc expositionem non facere pro Scotistis ad

deklarandam Scoti doctrinam allatam 3. *dist. 11. quest. 1. A.* imò esse illi omnino contrariam, id est prorsus frivolum, & inane, ostendit quae arguente non percepisse meam responsionem ab ipso relata, etiam si clara, & patentem; non enim in ea dixi juxta eam expositionem, quod gratia in nobis creetur, & ex nihilo producat secundum esse morale, id est non ex merito, intelligendam, & explicandam esse illam Scoti auctoritatem; Sed dixi conceptis verbis, & orotundio sic explicari posse auctoritates Scripturam, & Patrum, cum ajunt gratiam in nobis à Deo creati, & concreari, aliud autem est loqui de Scoti auctoritate, aliud verò de auctoritate Patrum, & Scripturam, quare ut eam responsionem rite everteret, ostendere debet eam expositionem repugnare modo loquendi Patrum, & Scripturam, non autem Scoti *loc. cit.*

Ratio tandem unica, quam ut Achilles adducit, nullius proflus momenti est, utpote quae procedit ex ignorantia conceptus entis supernaturalis, non enim absolute loquendo est de ratione entis supernaturalis etiam secundum substantiam, quod dicitur mere supernaturale, quod fit à solo Deo, ut dixi *dist. 11. q. 2. de visione beata quest. 2. numer. 76. ac 89. in fine;* sed quod excedat vires naturae, ac ejus exigentiam, five à solo Deo fiat, five etiam partialiter ab agente creato cum speciali concursu Dei, ac alias indebito, & in hoc praecipue consistit ratio supernaturalitatis secundum substantiam, non autem in eo, quod fiat à solo Deo; Tum quia nonnulla à solo Deo fiunt, quae tamen entia supernaturalia non dicuntur, eò quia non sunt supra exigentiam naturae, ut consistat de anima rationali, Caelorum qualitatibus secundum Scotum 2. *dist. 3. quest. 11. C.* ac etiam species Angelicis infusi; Tum quia si supernaturale est illud, quod à nulla causa naturali potest attingi, ut assumitur in majori, ac ejus probatione, tunc necesse est, nec fructio esset actus supernaturales, aut nulli pacto partialiter procederet ab intellectu, & voluntate creata, sed totaliter à Deo. Neque valet responsio, quod actus hujusmodi non sunt mere supernaturales, nam nihil magis supernaturale dicit potest intrinsecum entium creatorum, quam quod est supernaturale secundum substantiam, atque actus visionis, & fructiois sunt actus supernaturales non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, ut latè ostendi *dist. 6. de visione beata quest. 2.*

Cum verò subdit actus hujusmodi dicit tantum supernaturales ratione habitus supernaturalis concurrentis ad eorum productionem, scilicet ratione luminis glorie in visione, & gratiae in fructione ex Scoti 1. *dist. 17. quest. 2. P. P.* Hoc rursus mala fide refertur, nam ibi Doctor ad 3. duas asserit solutiones, & in prima dicit, quod actus potest dici supernaturalis ratione formae, sive habitus concurrentis ad eius productionem, non autem dicit quod tantum fit supernaturalis ratione habitus supernaturalis ad ejus productionem concurrentis, ut refert arguens volens nos decipere; neque hoc cum veritate dicere poterat, quia in eius sententia negato quocumque habitu supernaturali in intellecta beato salvatur adhuc supernaturalitas visionis secundum substantiam, ut ostendi de mente ipsius *dist. 11. q. 6.* tum de potentia ordinaria, & de facto *q. 2. art. 2.* tum de potentia absoluta *quest. 5.* Deinde in secunda solutione negat actum visionis, vel fructiois esse propriè supernaturalem ratione habitus supernaturalis ad eius productionem concurrentis, quia etiam habitus praesuppositus fit à causa supernaturali immediate, tamen ille positus in esse est causa naturalis respectu sui actus, & ideo actus qui producitur, per talem habitum non est propriè supernaturalis, quod rursus repetit 3. *dist. 14. quest. 1. C. h. respond. deo, & deo;* quae tamen loca quomodo sint intelligenda iam expendi *dist. 6. sent. q. 3. art. 1.* Iquid ergo bilaterat arguens in sententia Scoti actus visionis, & fructiois esse supernaturales tantum ratione habitus supernaturalis ad eorum productionem concurrentis, ob quam verius possum ego Scotistis dicere ipsum legentibus quod ille de me ridiculè dixit *dist. 8. concl. 4. s. 1.* proiciens ampullas, & seculpe dalia verba, *Legite Scotista, Scotum, & videtis, quam sit eius doctrina adultera,* quae rursus sunt de numero ludicrorum Scriptis P. Vacarii ex proprio penu addectorum.

Septimò tandem aliqui Theologi indè probant gratiam 69 creati, & non educi de potentia animae, quia abiterantur contrariam opinionem favere Semipelagianis contentendibus gratiam esse aliquo modo ex nobis. Resp. nostram sententiam nihil prolius habere commune cum Pelagianis, vel Semipelagianis, nunquam enim Catholicis de hoc puncto disputatum cum illis, an gratia creetur, vel educatur de potentia animae; sed solum an esset ex solis naturae viribus opus bonum,

bonum, quod est aliquo modo dispositio, aut causa, aut meritum gratiae. Hinc scite dixi Valquez *dist. 174. c. 3.* frustra formidat Scholasticos antiquos concedere gratiam, & alia dona supernaturalia educi de potentia animae arbitrautes se cum Pelagio consenturos, si aliud esset; cum sanè contra Pelagium Ecclesia solum doceat ex propriis viribus nostrae voluntatis sine gratia adiutorio non posse hominem servare legem, vincere tentationes justificari, perseverare, & mereri regnum Caelorum; contra Semipelagianos verò non posse nos ex nostris viribus sine auxilio gratiae initia aliqua Deo præbere nostrae justificationis. Itaque ex hæcenus dictis mihi satis liquido consistere videtur, quomodo nostra opinio absque ullo scrupulo sustineri possit, nam quantum spectat ad rationem, patet meliores rationes non habere, quam habeat opposita, pro quo nullam extat rationem urgentem ingenue fateatur Poncius *loc. cit.* & sanè nos dubito, quod quicumque attentè consideraverit naturam formae accidentalitatis, ut sic, & quid sit formam educi de potentia materiae, statim pro nostra sententia calculum dabit; & quod quicumque oppositum tenent, in eam abierit ex insufficienti reflectione supra naturam formae accidentalitatis, & educationis formam.

Quantum verò spectat ad auctoritatem, si loquamur de auctoritate Scripturam & SS. Patrum constat ex dictis *n. 44.* in quo sensu dixerint gratiam creati; si verò de auctoritate antiquorum Scholasticorum, constat non omnes fuisse illius opinionis, & qui dixerint gratiam creatam, fuisse locutos juxta sensum Scripturam, & SS. Patrum; Si tandem de Scoti auctoritate sit sermo, constat in locis praecipuis, ubi de hoc puncto loquitur ex instituto, loqui dubitativè, & ex suppositione alterius opinionis, quae tunc temporis videbatur communior; & in 2. *dist. 7. q. 1.* H. d. d. ait, quod gratia non potest esse nisi à solo Deo creata, clarum est ex ipso contextu, quod ibi excludere intendit concursum voluntatis ad gratiae productionem per modum causae efficientis, non autem per modum causae materialis; & denique d. 2. *dist. 37. q. 1. A.* ait gratiam esse à solo Deo per creationem, & 3. *dist. 11. q. 1. S. qui ista opinio,* Angelum, & animam intellectivam, & gratiam creati, & ubicumque sic loquitur, semper loquitur ex suppositione alterius opinionis, quae saltem in modo loquendi conformior videbatur Scripturis, & Patribus, quorum sensus jam supra satis est explicatus.

QUESTIO TERTIA.

De concursu naturali Dei cum causis secundis.

Quomodo Deus concurrat cum causis secundis, an scilicet eas praedeterminando, vel tantum in effectibus earum influendo.

70 **Q**uestio hæc inter omnes celeberrima unum supponit, & aliud quaerit; supponit Deum non solum mediè, & remouè esse principium omnium operationum, & effectuum, qui à causis creatis fiunt, quatenus nempe ipse Deus causas creatas cum suis virtutibus condidit, & conservat, ut dicebat Durandus 2. *dist. 1. q. 5.* & *dist. 37. q. 1.* sed etiam immediate & proximè simul cum omni causa secunda concurrere, & cooperari ad omnem effectum, & operationem à quacumque causa creata exercitam, ut ex instituto probatum est *dist. 7. Ph. 6. art. 1.* Quaerit autem de modo, quo Deus in tempore præter huiusmodi concursum, nunc scilicet præbendo, & exhibendo concursum (suum in eas partier influit præmovendo, & prædeterminando eas physice ad talem actionem, & effectum, an potius in effectum tantum influit nihil ponendo antecedenter in causa; Sed propter affinitatem, quam habet hæc quaestio cum dispositione theologica de gratia prædeterminante, de qua tractate etiam indie. Et decretis apostolicis verum est, ut eius obtemperemus, sicuti patet hæc quaestio merè philosophicè examinanda, & quoad actus, ac effectus metè naturales, in qua aetna controversia tres extant sententiae, duae quidem extremae; altera Thomistarum, & altera Scotistarum, nempe Patrum Societatis, tertia verò media Scotistarum.

71 Prima sententia extrema est Thomistarum, qui ad salvandam essentialè subordinationem causae secundae ad primam asserunt necessariam esse divinum influxum, nedum in effectum causae secundae, sed etiam in ipsam causam, ut dicitur movere mota, & determinata à Deo, quem influxum in causam ponunt prævium ad effectum prioritatis naturae, ita quod pertineat ad causam in actu primo, & spectet ad complementum eius, five per modum qualitatis transeuntis in *Mela In Secunda-Sententia.*

causa recepte; priusquam exeat in actum, five per modum cuiusdam motionis virtuosae, & efficacis physice, in est videtur apud Alvarez *lib. 3. de auxiliis dist. 19.* Nugnum 3. *part. q. 62. art. 5. dist. 1.* Ripam *part. 1. q. 2. 19. art. 8.* Ledem *lib. 1. de auxiliis q. 1. univ. art. 2.* Carat. *op. de concursu causae primae cum secundis dist. 22.* Nazarium *part. 1. q. 22. art. 4. controu. 1.* Complut. *dist. 11. Phys.* quae dicunt esse communem apud veteres Philoosophos, ac inter Thomistas tam antiquos, quam recentiores; Alii verò eandem tenentes opinionem influxum prævium in causam explicant per modum cuiusdam motionis virtuosae, & efficacis, non quidem physice, sed moraliter eo modo, quo brachium, & manus ad nutum nostrae voluntatis movetur non ob aliquid naturalem in ipsis à voluntate, sed propter subordinationem, & naturalem simplicitatem illorum ad voluntatem, & in hoc sensu explicatam legitur ex nostris hanc opinionem Fuentes 2. *Phys. qu. 5. dist. 3. art. 3.* dicens moraliter tantum ex vi subordinationis essentialis causam secundam à prima præmoveri, & prædeterminari, non autem physice.

72 Secunda sententia extrema asserit, causam primam, dum concurrat cum causis secundis, non imprimere aliquid, quod antecederet ad actionem recipiatur in causa secunda, tanquam ratio complens, & perficiens causam secundam in actu primo, & hoc univèrsaliter tam in causis naturalibus, quam liberis; sed solum influere in effectum earundem causarum, ita ut effectus idem numero cadem omnino actione proveniat partialiter à causa secunda, & simul à prima, & causa secunda tripliciter à prima dependeat; primo in effectu, secundo in conservando, tertio in cooperando per immediatum simultaneum concursum, nec alios frustra multiplicandus est concursus prævius in causam: Ita Neutrales passim scilicet PP. Societatis Molina in sua Concordia *q. 1. art. 13. dist. 26. & 27.* Fonseca 2. *quæst. 3.* Suarez 2. *Metaph. dist. 22. sect. 2. & lib. 1. de auxiliis ac. 6. bulque ad 12.* Rovius in *Phys. de causa efficiente quest. 8.* Ovuid. *contr. 10.* *Phys. q. 3.* Ariag. *dist. 10.* *Phys. sect. 1. sub. sec. 3.* Moritanus *dist. 3. Phys. q. 1. 1. Salas par. 2. tract. 5. sect. 6.* & alii Recentiores passim eisdem Scholae libertate; quam sententiam, ut Scoti germanam, ac genuinam amplexi sunt Scotistae Faber, 1. *sent. dist. 57.* Schemma 2. *Phys. digress. 10. q. 3.* Poncius *dist. 38. Phys. q. 5.* & alii antiquiores, & Faber praeteritum *dist. cit. c. 3.* deducit eam ex pluribus locis, nam *4. dist. 1. q. 1.* ad ultimum principale, ait, *hoc patet, quod causae primae in causam secundam, quando simul agunt non est influenza nova, quae sit creatio alicuius inherens causae secundae, sed influenza ibi est determinatus ordo causarum in agendo effectum communem, & 4. dist. 13. q. 1. art. 3. CC. non creao semper causam secundam recipere motionem specialem à prima causa, sed tantum habere subordinationem aliquam formae suae activae ad formam activam alterius, per quam subordinationem causa prior exerceat in actu in suo ordine, secunda na est exire in actu in suo ordine, & sic secunda dicitur movere mota, non quia recipiat motionem à prima, per quam moveat, sed quia in motione sua dependet ab alia prius naturaliter actu movens, & 4. dist. 43. q. 3. s. 1. ortia opinio, ubi habet, ergo influenza causae superioris respectu inferioris non est aliquid receptum in causa inferiori, unde est tantummodo ordo ejus in causando ad causam superiorem; addit etiam alia loca Schemma cit. nam *4. dist. 2. q. 3. A.* inquit, influenza, quam recipit agens inferior à superiori non est aliqua formativa causae, sed est tantum ordo determinatus causarum in simul causando, & 2. *dist. 9. S. causa efficiens non agit virtute alterius, quae habet formam activam, quae recipiat actionem, vel formam ad actionem, sed quia superior principalis agit, quàm inferior; ille tamen ultimus locus non facit ad rem, quia ibi non loquitur Doctor de causa prima, & secunda, sed de pluribus causis secundis, quarum una est principialis, & alia minus principalis in ordine ad eundem effectum, ut constat ex ipso contextu.**

73 Tertia tandem sententia media asserit, concursum Dei non esse per modum principii in causis secundis exercitantis, applicantis, vel antecedentem illas determinantis in actu primo ad agendum; vel præcise per modum concausae simul necessariae requiritae ad effectum communem prædictarum causarum; addit tamen Deum, quatenus cum causis secundis in fluit immediate, ac directè in earum effectus, ex consequenti tantum, ac mediè in causis influere; adeo ut non ponit influxum tantummodo in communem effectum, sed etiam in causam contra secundam opinionem: hunc tamen influxum ad actum secundum non ponit prævium ad effectum, & spectantem ad actum primum, ut prima asserent ob opinio sed simultaneum, sed concomitantem effectum, & pertinentem ad actum secundum, quam opinionem sic explicatam, tanquam *B 4* Scoti